



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

Vita Engelberti caeci, cap. 10.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

pedem tuum. Quam fidus custos simplicium sit Dominus, sequens ostendit relatio.

CAPVT X.

Homo quidam simplex Engilbertus nomine, de provincia Tulpeti natus, ante paucos annos defunctus est. Iste cum esset cæcus natus, propter varia dona, quibus hominem eius interiore illuminauerat gratia diuina, in diuersis prouinciis noscebatur, & a multis magnisque personis sexus utriusque venerabatur. In cappa simplici & tunica lanea, nudisque pedibus, tam æstate quam hieme incedebat, & puero se regente, sic limina sanctorum satis remota sæpius visitauit, carnibus nunquam vesceretur, non lectisterniis, sed modico tantum straminis vel feni noctibus utebatur. Ego multa bona de eo vidi, & ipse multos, tam verbo quam exemplo, edificauit. Hic tempore adolescentiæ, cum nocte quadam in domo materteræ suæ, matronæ diuitis, inter alios eius seruos se cubitum locasset, in ipso conticinio, duo fures parietem suffodientes ingressi sunt, qui igne discooperto, lumine incenso, cistis apertis, intrepidè colloquebantur; quos ut prædictus Engilbertus audiuit, & fures eos esse non dubitauit, cum seruos, ex utroque latere dormientes excitare non posset, sublucio cultello suo perforato collo iniecit, & claua manum armauit. Et quia illos quasi cæcus videre non potuit, duce auditu ad illos tendens, & clauam utraque manu vibrans, ex omni parte quicquid tangere potuit, quasi furiosus feriens, de domo illos eiecit. Quos usque ad foramen secutus, dum aditum scala obstrueret, & illi stantes extra domum, nemine præter ipsum solum vigilare sensissent, de tali expulsionem confusi, habito consilio, denuo nisi sunt intrare. Quod ut ille ex motu scalæ sensit, unam partem scalæ arcæ magnæ, in qua continebantur grana, & erat foramini continua, supposuit, alteramque utraque manu seruauit. Illos intrantes usque ad umbilicum Engilbertus dorsa eorum, quia proni iacebant, per scalam fortiter pressit, & in tantum depressit, ut non solum eis progressum, imò etiam regressum profus adimeret. Qui quasi sub tor-

*Simplices
a Deo
custo-
diuntur.*

cula-

culari positi, dum manè capi timerent, veniam postu-
 lauerunt, datis verò terribilibus iuramentis, quòd nū-
 quam personam eius læderent, vel domum illam in-
 trarent, dimissi sunt. Manè cum, prodente Engilber-
 to, à vicinis nulla arte dormientes possent excitari, &
 quærentur circa domum maleficia, quorum virtute
 hæc nouerant fieri, supra foramen de tecto pendente
 quasi spinam humani cadaueris repererunt, qua amo-
 ta, mox omnes excitati sunt. **A P O L L O N I V S**: Ma-
 gna sunt ista ab homine cæco & simplice gesta. **C E-
 S A R I V S**: Maius est quod sequitur, quia ad salutem
 pertinet animarum: nam multis annis elapsis, iidem
 fures fama & virtutibus iam dicti Engilberti excita-
 ti, eiusque, vt opinor, precibus compuncti, eum adie-
 runt, & quia ipsi essent confessi, deinceps duxerunt
 vitam religiosam. Hoc factum mirabile, & alia qua-
 dam, de quibus in sequentibus diceretur, ab aliis mihi
 relata, & vtrumnam vera essent à me interrogatus, ita
 gesta fuisse simpliciter testatus est. Et quia cum sim-
 plicibus sermocinatio Domini est, dedit ei etiam spi-
 ritum prophetiæ, vt damnum luminis exterioris, cla-
 ritate oculorum interiorum compensaretur. Tempo-
 re quodam inuitatus à Ducissa Saxonix, vxore Henci-
 ci ducis, matrona valde religiosa, inter alia multa
 quia vnus ex filiis eius Imperator esset futurus præ-
 dixit. Quod postea impletum vidimus in Ottone,
 qui Henrico successit in Imperio. Hic cum post ele-
 ctionem in maximis fuisset tribulationibus, & penè
 ab omnibus desperatus, ab eodem cæco confortatus
 est, eo asserente, quia omnibus modis forent imple-
 da, quæ a Deo fuerant præordinata. Ante illa tem-
 pora, cum Hellsuindis de Giemenich vidua religio-
 sa, ob discordiam duorum Comitum terræ nostræ, ti-
 meret filiis suis, Arnolde & fratribus eius, ipsumque
 rogaret, vt pro ipsorum incolumitate Deo supplica-
 ret. Respondit: Ne sollicita sis pro ista discordia, quia
 bene sopietur: verùm alia multo maior in ianuis
 est, pro qua non solùm filij tui, sed tota terra con-
 cutietur. Hoc impletum est sub iam dicto Ottone

& Philippo eius in regno aduersario. Die quadam eunte eo in quadam strata Coloniae, occurrerunt ei plures honestae matronae eiusdem ciuitatis euntes ad ecclesiam, quae cum fabularentur, ait: State vos dominae. Stantibus adjecit, Loquatur illa quae iam loquebatur; haesitantibus matronis, de qua diceret, ad verbum illius quaelibet singulariter, caeteris tacentibus, loquebatur: cum ventum fuisset ad Astradam, quae hodie sanctimonialis est in monte sanctae Walburgis, voce eius audita Engelbertus propheticè respondit: Haec cum omni domo sua conuertetur ad Christum. Quod non multo post impletum est: nam cum marito, filio, & filia, quae hodie Abbatifat in iam dicto cenobio, seruo & ancilla in ordinem nostrum venit. Vides quam celeriter in apertione oris praefatae feminae, Deus reuelauerit auriculam eius. De statu animarum plura dicere consuevit, & nunquam, ut aiunt, spiritus erroris siue humanus eum fefellit. Nec mirum: non semper Prophetae loquebantur spiritu prophetiae sicut Nathan, qui Dauid ad hoc spiritu suo hortabatur, quod spiritus sanctus mox per eum fieri prohibuit. In quadam solemnitate dominae nostrae sanctae Mariae, cum matertera eius praedicta vespere iret ad proximam villam propter matutinas, & diceret illi: Engelberte cras mane venias ad me; in ipsa nocte ante lucem audiuit vocem cuiusdam ad ostium pulsantis atque dicentis; Engelberte veni, eamus ad matutinas. Quam vocem cum non agnosceret, surrexit tamen, & secutus est illum, ductusque est in Ecclesiam quandam, in qua audiuit matutinas, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam. Deinde dum solus reuerteretur, & vbinam fuisset interrogatus, respondit: Nunquam audiui tam pulchrum cantum, tam suauem melodiam, missam tam gloriosam, sicut audiui hodie. Et hoc sequenti anno ei iterum contigit: nondum enim susceperat habitum religiosum. Noctem quadam de lecto suo raptus, transpositus est iuxta castrum Molbach, in solitudinem satis horredam: in eodem loco egressa anima eius de corpore, vniuersos angelos & situs eiusdem solitudinis

lustra-

i. Par. 107.

Iustravit & consideravit, ita ut postea, eo recitante; multi mirarentur. Regressa anima, diabolus erranti occurrit, dicens; Corpus tuum meum est, Illo se signante, & sanctam Dei genitricem inuocante, adiecit; Media pars capitis tui mea est, eo quod pulsata vespera sabbati fuerit lota: & statim misit massam picis in illam, quæ postea cum maximo labore multorum deposita est. Cum verò moriturus esset, mater eius hæs ait: O fili dulcissimè, modò recedens a me dimittis me in maxima infirmitate. Respondit ille: Sancta Maria liberabit te mater. Eoque expirante, eadem hora sanata est illa ab infirmitate durissima, qua nouem annis laborauerat. Legi in libro visionum beatae Azeline, quod in cælesti mansione sedem viderit vacuam miræ pulchritudinis & gloriæ, & dictum est ei, quod esset cuiusdã cæci de Alemannia, & statim intellexit de fratre isto Engelberto. APOLLONIUS: ut audio, multum Deo chara est simplicitas. CÆSARIUS: Non solum Deo, imò & hominibus placet; & quandoque maioris in auribus eorũ efficacit, quam prudentia secularis

CAPYT XI.

Simplicitas etiã apud hominis efficax.

Dominus Petrus Abbas Clareuallis, monoculus ex infirmitate, vir sanctus, nomine & re Petri Apostoli imitator, & filiº colũbe, eo quod magnæ & puræ fuerit simplicitatis. Cum ipso & fratribus eius miles quidã, pro quibusdã bonis, contendebat: præfixus est dies, in quo vel miles cũ Abbate cõponeret, vel corã iudice litẽ intraret. Venit ad diẽ miles cũ amicis suis, venit & Abbas solo monacho quodã simplice secũ assumpto: nõ tamẽ in equis, sed pedites venerunt. Et cùm esset Abbas venerabilis, pacis & paupertatis amator, rerumque transeuntium contemptor, coram omnibus dicebat militi: Homo Christianus es, si dixeris in verbo veritatis, quod bona ista, pro quibus contentio est, tua sint, & tua esse debeant, bene sufficiet mihi testimonium tuum. Ille magis curans de bonis obtinendis, quàm de verbo veritatis, respondit: In veritate dico quod mea sint
hac